

# **Dissertatio inauguralis de sanguine stagnante ... / [Carl Friedrich Clauder].**

## **Contributors**

Clauder, Carl Friedrich.  
Rivinus, Augustus Quirinus, 1652-1723  
Universität Leipzig (1409-1953)

## **Publication/Creation**

Lipsiae : Litteris Immanuelis Titii, [1721]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/puuunkuk>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

13

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

# SANGVINE STAGNANTE

QVAM

CONSENTIENTE GRATIOSISSIMAE  
FACVLTATIS MEDICAE ORDINE

SVB PRAESIDIO

VIRI CELEBERRIMI

# D. AVGVSTI QVIRINI RIVINI

FAC. MED. DECANI

DIE XXVIII. MARTII MDCCXXI.

# PRO LICENTIA

IMPETRANDI

# HONORES IN MEDICINA SVMMOS

H. L. Q. C.

PUBLICE VENTILANDAM

PROPONIT

# CAROLVS FRIDERICVS CLAVDER

MEDICINAE BACCALAVREVS.

---

LIPSIAE

LITTERIS IMMANVELIS TITII.

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, PRAENOBILISSIMO  
AC CONSULTISSIMO  
D O M I N O  
**IO. GOTHOFREDO REINHARDO**  
TOPARCHAE IN NEVKIRCHEN, SVMME REVERENDI  
ET CELSISSIMI PRINCIPIS SAXO-MARTISBURGICI,  
CONSILIARIO AVLICO LONGE CELE-  
BERRIMO, &c.  
MAECENATI MEO OMNI CVLTV DEVENERANDO, &c.  
V T E T  
V I R I S  
PRAENOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS  
ET EXPERIENTISSIMIS  
D O M I N O  
**IO. CHRISTIANO CLAVDERO**  
HAEREDITARIO IN ZSCHECHWIZ, PHILOSOPHIAE ET  
MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO ALTENBURGENSI  
CELEBERRIMO, PATRVELI AC SVSCEPTORI OMNI  
FILIALI CVLTV PROSEQVENDO,  
A T Q V E  
D O M I N O  
**GABRIELI FRIDER. CLAVDERO**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, ATQVE  
ARCHIATRO PER-ILLVSTRISSIMI COMITIS DE LOBEN-  
STEIN, NEC NON PHYSICO PROVINCIALI  
IBIDEM, &c.  
PATRVELI MEO AC FAVTORI AESTVMATISSIMO,  
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM  
EA, QVA DECET  
ANIMI OBSERVANTIA  
DICAT, DEDICAT, CONSECRAT  
AVTOR ET RESPONDENS.



## P R A E F A T I O.

**Q**ui cunctas res in hoc universo spectandas sub nomine mobilium complecti velit, a vero parum aberrare videtur. Non jam dicam de solis lunaque ac siderum circuitu; saltim globus terraqueus, etiamsi ad mentem Copernicanorum sub zodiaco non progreditur motu annuo, circa suum nihilominus axem quotidie volvit, suam in centro mundi sedem a Creatore assignatam nullatenus deserens. Seorsim autem aquæ circumfusa suum habent cursum omnino distinctum. Nam & flumina,

A 2                unde-

undecunque orientur, in maria sese præcipitant. Ipse vero amplissimus Oceanus per intervalla sex horarum æstu agitatur perpetuo, in venilia modo accendentibus ad littora undis, modo recendentibus stato tempore in salacia. Atque hoc ipsum applicare ad sanguinis motum in corpore vivente non dubitarent, qui ad similitudinem macrocosmi conformatum existimant hominem tanquam microcosmum. Et quanquam ipsis arduum esset explicatu, qua ratione sanguis partim venosus, partim arteriosus distribueretur in corpore; nunc tamen post inventam circulationem nemo amplius dubitat, cor esse promum condum, qui per arterias succum vitalem ad omnes partes pulsu nunquam intermittente distribuat, & qui redeuntem per venas cruentem iterum recipiat. Hinc enim nomen circulationis originem duxit, quod in circulo quasi sanguis idem repeatat principium, a quo primum moveri cœpit. Atqui hoc unicum

argu-

argumento esse potest, summam & utilitatem  
& necessitatem ad conservationem vita ac  
sanitatis tribuendam esse huic sanguinis cir-  
culationi, quoniam nullibi quiescit, imo ne  
inter dormiendum quidem. Itaque si pra-  
ter naturam forte in suo circuitu impediatur,  
exinde damnum emergere non leve necessum  
est. Id vero ex sequentibus apparebit cla-  
rius, quando de sanguine stagnante quadam  
differere mecum constitui, non indignam ar-  
bitratus materiam, que publice ventiletur  
per modum disputationis inauguralis. Faxit  
Clementissimum Numen, ut omnia feliciter  
succedant!

DE  
SANGVINE STAGNANTE.

§. I.



Ub nomine sanguinis comprehendi non tantum partem ejus purpuream, sed & serum, quod vehiculi loco inservit, & chylum, post digestionem primam ei affusum, neminem latere arbitror. Et hæc quidem in statu naturah ita se habent, in præternaturali vero interdum viscidior pituita vel bilis, veletiam alias humor crassus, olim melancholicus, hodie tartareus, sanguini admisceatur, ac nihilo minus nomen suum retinet. Stagnare autem dicitur sanguis, quando debite haud movetur, sed instar aquarum ab inundatione vel imbris collectarum non tam fluere, quam stare, aut certe vix sensibili-  
ter progredi videtur.

§. II.

In statu sanitatis quidem sanguis perpetuo agitat-  
tur, effluit e corde, juvante pulsu, per arterias, redit per  
venas, dum gutta guttam & unda undam trudit. Haud  
raro tamen motus hic sanguinis circularis impeditur  
plus minusve, modo hac modo illa in parte, interdum  
etiam in toto corpore non sine manifesto vita periculo.  
Atque hoc ipsum est, quod vulgo sanguinem stagnare di-  
cimus.

§. III.

## §. III.

Certe in toto stagnare sanguinem oportet, quotiescunque pulsus deficit, in lipothymia & syncope, vel etiam forti Apoplexia, item in aquam frigidam collapsis, aut brumali tempore congelatis.

## §. IV.

Sed in capite seorsim stagnare sanguis nonnunquam observatur, sicuti externe in gutta rosacea; ita potius interne in hemicrania vel cephalæa, ut nihil dicam de contusionibus capitis, fractura cranii aut inflammationibus meningum. Certe vel sola Ophtalmia satis ostendet, sanguinem ab oculis per venas non redire debito modo.

## §. V.

In pectore haud raro sanguinem coagulari ab aëre frigido, quem inspiramus, docet hæmoptysis, in pleuritide peripneumonia & pleuropneumonia non parum periculosa. Sed quotidianum est, post casum ab alto, aut saltim vehementer perterritos suffocari pene, antequam vel sputum appareat cruentum, & erysipelas vel bubo, carbunculus, aut petechiæ in conspectum prodeunt. Quid dicam de angustia præcordiorum vel potius anxietate cordis ipsius, quam non modo in febre maligna & pestilenti experiuntur plerique, sed extra febrem a solo polypo & vasa majora non nisi summa cum difficultate transire queat.

## §. VI.

In abdomen frequentius stagnat sanguis in hepate,

te, præsertim eam ob causam, quod parum arteriosi plurimum venosi sanguinis per venam portæ affluat. Quam ob rem obstructiones atque scirrhi hujus visceris haud raro spectantur. Et quanquam sanguinis transitus per lie-nem videatur multo liberior nihilominus dolor, tumor, imo etiam scirrus hujus visceris, crebrius occurrentes, ostendunt, propter impeditam sanguinis viam in hepate regurgitare sanguinem, suasque feces atque crassamina in splene relinquere; posteaquam fluidior portio per hepatis substantiam ægre discessit. Circa uterum autem hærere sanguinem grumosum atque congelatum, quis nescit? quando fœminæ, ubi menstrua, aut lochia post partum fluunt, fortassis terrore vehementi percussæ aut frigore immenso tactæ fluxum illico impeditum sentiunt. In hæmorrhoidibus etiam, cœcis præsertim stagnare sanguinem quis neget? quod vel ex ipsis mari-scis & sicubus, circa anum erumpentibus, colligere licet.

### §. VII.

Nam & in pedibus varices oriuntur a sanguine crasso in venis retento. Et perniones a frigore contracti in manibus pedibusque congelatum sanguinem ac postea corruptum satis arguunt. Ut nihil dicam de inflammationibus in genere, de sanguine congruato in fractura ossium, luxationibus, aut etiam plagis, a suggillationibus quotidie obvio.

### §. VIII.

Nec tamen hoc in loco prorsus reticere possumus  
macu-

maculas purpureas hinc inde in corpore sub nomine morbillorum & petechiarum, aut macularum scorbuticarum erumpentes. Quemadmodum enim in Phlogosi aut hectica laborantibus post potum, aut passum etiam, rubor quidam præternaturalis in vultu brevi tempore durans, notatur, ab æstuatione sanguinis & qualunque turgescens natus ; ita nullum est dubium, quin sanguis inter cutem & cuticulam effusus, ubi sedem fixam invenerit, per aliquot dies spectetur constanter, usque dum iterum a natura discussus fuerit.

### §. IX.

Materia stagnans appellatur sanguis, quo nomine in præsenti casu non tam fluidus & laudabilis intelligitur, quam spissior & ad generandas obstructions dispositus, grumosus, coagulatus, pravisque humoribus inquinatus. Forte non incommode ad VII. capita revocare possemus hanc pravam dispositionem sanguinis 1. si nimum spissus ac sero destitutus fuerit, 2. pituitosus, 3. crassus & nigricans, 4. arenosus, 5. mixtus, 6. verminosus 7. mixtus ex his.

### §. X.

Primo ob seri defectum sanguis nonnunquam spissior est, quam ut commode fluere ac per vasa porosque partium, præsertim angustiores transire queat. Huc spectat memorabilis historia, quam refert BORELLUS Cent. IV. Obs. 93. de ægro quodam, e cuius venis sanguis

extrahi non potuit, nisi vulnere trium transversorum digitorum inflictō, licet vasa ampla & satis apparentia essent, quoniam sanguis semi congelatus in venis erat, narrante Tirefortio, chirurgo eas trensi.

### §. XI.

Secundo nihilo melior est pituitosus, de quo singularis prostat duplex observatio a Pechlino facta *Lib. II.* *Obs. Phys. Med. XIII.* p. 228. Vedit nempe sanguinem, post venæ sectionem collectum in patella, paulo post totum fere in solidum ejusmodi, pingue, cereum & candicans concretum abiisse & p. 229. sanguinem vexilliferi cuiusdam, qui modo arthriticus, modo nephriticus erat, per venæ sectionem missum, prorupisse quidem rutilum, protinus colore niveo indutum, distinguente caseofam duntaxat partem livore cœruleo albo. Confer MARCELLUM DONATUM *Histor. mirab.* *Lib. I. c. 4.* de sanguine leprosi atque pleuritici congelato.

### §. XII.

Tertio sanguis crassus & nigricans olim melan-cholicus dictus, ab acido prædominante ad coagulum admodum proclivis est. Talem notavit JOH. RHODIUS *Cent. III. Obs. 70.* in juvēne quodam instar atramenti scriptorii nigerrimum. Nos vero sæpius in scorbuticis & lienosis vidimus sanguinem obscurum, non modo talem prodiisse ex incisa vena, sed etiam fundo vasis firmiter adhæsse, adeo tenacem, ut vix avelli potuerit, cum alias

alias refrigeratus, postquam serum a sanguine secessit, sua sponte separetur. Unde haud difficulter liquet, particulas crassiores salibusque prægnantes pondere suo imo petere, more fecum aut tartari. Neque rarum est, calem observari sangvinem, quasi adustum a calore nimis aucto in febribus vel inflammationibus. Huc refer, quæ FORESTVS habet *Lib. XVI. obs. 46. in Schol.* Nempe longa experientia in praxi quotidiana animadvertisit, præcipue in pleuriticis, pulmoniacis & aliquando in inflammationibus hepatis & lienis, & in phreniticis, si sanguis e vena missus, corruptus, niger, limosus, putrescens &c. fuerit, pessimum fuisse signum & plerumque mortem præsagisse.

## §. XIII.

Quarto sanguinem quandoque particulis terrestribus & arenosis, imo etiam lapillis refertum non obscure probant strumæ, scirrhi, tophi, podagra nodosa, calculus renum & vesicæ. Talem in viro doloribus ischiadicis diuturnis, deinceps gonagra laborante prodire notavit SCHENCKIVS *Lib. III. obs. 80.* secta vena malleoli externa. Scilicet una cum ferventissimo sanguine non sine magna vi & pruritu maximo profiliente, lapilli quoque figura & quantitate seminis rapi, quantum testa juglandis nucis capere potuit, unica venæ sectione educiti fuerunt. Unde a tot annorum cruciatibus subito, & quasi miraculo quodam liberatus est. Similem cum lapillis sangvinem in nephritico ex vena

brachii secta profiliisse memorat D. GRESEL apud BONETVM in Medicinæ septentrionalis collatione Tom. I. p. 493.

#### §. XIV.

Quinto sanguini quoque materiam purulentam admisceri, ex vomica pulmonum rupta, hepatis abscessu, renum ulcere aut aliunde regurgitante humore corrupto ac etiam fœtente nullum est dubium, siquidem ipse GALENVS de Loc. Affect. Lib. VI. cap. 4. aperte testatur, se vidisse pulmonis vomicam per urinam, thoracis autem per intestina & alvum expurgari. Si vero ad renes abiit materia, haud alia via, quam per arterias cum sanguine eo pervenire potuit.

#### §. XV.

Sexto denique vermiculi omnis generis sanguinem corrumpere ejusque fluxum plus minus impedire possunt. Provoco ad RIOLANVM, qui in *Enchirid. Anatomi. Lib. II. p. 142.* hæc habet: Interdum tanta est putredo sangvinis, ut totus abeat in serum putre. Ubi putredo major in massa sangvinis, interdum vermiculi generantur, quod vena secta effluxisse vidit. Plura qui exempla cupit, evolvat BONETI Medicinam septentrionalem collatitiam Tom. I. Lib. II. sedl. 22. cap. 1. de sanguine verminosa & Schol. p. 493.

#### §. XVI.

Præterea fieri solet haud raro, ut ex concursu pituitæ, bilis, acidi &c. mixtura emergat pessima; qualis fere

fere in cachexia præsumitur, item in morbo gallico in-veterato, quibus in casibus plerumque sanguis adeo sordidus diversisque maculis, albis & nigris, flavis & viridibus, variegatus est, ut absque nausea vix adspici queat, si in patella collectus & ad refrigerandum tantisper sepositus fuerit.

### §. XVII.

Nullum ergo dubium est, quin culpa propria san-guis stagnet, tanquam ad fluorem minus idoneus.

### §. XVIII.

Quoniam vero laudatissimus etiam sanguis nisi ab igne vitali fundatur per vasa plusquam capillaria vix trajici solet: Itaque spirituum simul ratio habenda est in præsenti negotio, utpote qui, seu defecerint, seu im-pediti fuerint, in suos per nervos influxu, seu retroces-serint ad interiora, uti mox declarabo.

### §. XIX.

Ob defectum spirit. stagnare sangu. docent præ ceteris decrepiti, provoco ad Xenodochia ubi senio confectas utriusque sexus custodire solent. Occur-runt ibi exempla frequentiora virium sponte sua defi-cientium, unde frigus extremorum unguium in digitis decoloratio & labra non amplius rubicunda, sed fructi-bus myrtillorum similia.

## §. XX.

In Lypothymia ut plurimum quidem pallor in vultu, aut etiam toto corpore notatur una cum frigore, ut jam defunctis vel certe moribundis similes appareant ægri: In fortiori autem syncope signa stagnantis sanguinem in externo habitu præcipue facie observatur, quandoquidem haud raro ad nigrum inclinans livor per plures etiam horas durat.

## §. XXI.

Procul dubio Apoplexiam ideo dixerunt sanguineam, quod facies longe secus atque in Lypothymiis fieri solet, etiam plus justo rubra videatur propter sanguinem in capite intus & extra stagnantem. Ita refert WEPFERVS *in observ. Anatom. Apopl. Hist. II. pag. 5. seqq.* in vidua quadam fere septuagenaria, quæ cum tangetur Apoplexia per tres horas, retinuit respirationem, pulsum, cum colore faciei rubicundo: His cessantibus subito extincta est. Sublato cranio non modo dura Mater sanguine suffusa, sed etiam in ipsa substantia cerebri grumos sanguinis nigerrimos ad magnitudinem ovi gallinacei, propter alias minores grumos & fluitantem sanguinem pondere unciarum circiter octo vel integræ fere libra reperiebantur.

## §. XXII.

Porro a frigore spiritus animales repellit, atque hinc sanguinem coalescere docent exempla congelatorum:

rum : Item suppressio mensium a refrigerio pedum, qualem historiam notatu dignam, de puella ex hac causa post aliquot horas subito extincta PET. SALIVS *de Affect. particul. Cap. IV. pag. 237.* habet : de morte subitanea post potum frigidum astante præsertim corpore haustum, similiaque plura vide in Disput. Magnif. Dn. PRÆSIDIS, Præceptoris mei ad cineres usque colendi, de Frigoris damno.

### §. XXIII.

Nec alia ratio terroris est, utpote qui retrocedentibus sponte spiritibus vestigia non obscura sanguinis vel in totum coagulati, vel ex parte tantum stagnantis praebet. Hinc enim quibusdam lethalis illico : aliis plus minusve periculosus esse solet. Sic spectro viso pestem ipsam, bubones & carbunculos, fuisse oborta testis est HOECHSTETERUS *Obser. Med. Decad. VII. cas. II. Schol. pag. 48.* Fortassis & cancri mammarum origo est a terrore vehementiore ; siquidem a minus vehementi lac in nutricibus haud raro in grumos coit : Erysipelas autem in aliis hinc inde produci, ac modo caput, modo peccus, modo manum, modo pedem occupare imperterritis quotidianum est.

### §. XXIV.

Et quemadmodum corporis motu in laboribus, exercitiis, pilæ lusu &c. calor naturalis manifesto intenditur omniumque humorum fluxio egregie promovetur,

ur, ita in contrarium sanguis, serum atque bilis stagnat notabiliter, quotiescumque corpora nostra præ otio frigent, & in vita sedentaria perpetuo quasi stupent. Quapropter non modo pedum tumores œdematosi, sed & obstruktiones lienis & hepatis, quondam vasorum mesaraicis adscripta, communiter vexant istos, qui lucubrationibus & studiis concatenatis se consecrarunt.

## §. XXV.

Scilicet ad impediendum sanguinis motum non parum confert vasorum sanguiferorum compressio, uti ex fortiori ligatura, ab imperitioribus chirurgis interdum facta manifeste liquet. Itaque nec mirum est si ubi intestina cum stomacho post prandium aut cœnam, cibo, potu, in Hypochondriacis vix unquam deficientibus, turgent, favende insimul torsi curvatione venæ potissimum teneriores quodammodo coarctentur, liberioremque transitum sanguini minus calenti ac fluido negent. Hoc etenim pacto varices quoque in venis pedum nonnunquam generantur, quando in gravidis, præsertim gemellos utero gerentibus, & vel graffo sanguine, vel nimis copioso, turgentibus, rami venæ illiacæ ab incumbente utero depresso, liberum sanguini fluxum non concedunt. Tales in prægnante varices, octavo mense gestationis notas, ac tandem ruptas circa talum venas, cum enormi Hæmorrhagia notavit FOREST. *Lib. XXIX.*  
*Obs. 24. pag. 825.*

## §. XXVI.

## §. XXVI.

Id factum Augusto mense dicit Autor, quo ipso ad anni tempus, h. e. ad concurrentem æstatis fervorem procul dubio respexit. Ita enim qui varicibus tentantur concurrente imprimis Plethora cum cacochymia pejus habent, quoties cunque calor vel a radiis solis vel motu corporis augetur. Pariter Hæmorrhoidibus affliguntur frequentius, qui nimis inter equitandum incalescunt, aut curru vecti quatiuntur, præsertim ventre venisque plenis. Quid enim vel sola plenitudo vasorum sanguiferorum in hoc passu valeat, suo cum damno experiuntur plethorici. Quoniam impossibile prorsus est, liberius circumire sanguinem, quamdiu in poris partium venisque abundans resistit atque vix per arterias irruenti spatium concedit requisitum.

## §, XXVII.

Lubet nunc breviter de signis stagnantis sanguinis agere, sunt vero eadem haud obscura, quotiescunque circa exteriora vitium hæret: Nam & color mutatur, quatenus vel rubedo, aut intenditur, aut in nigredinem vertitur. Aut enim cutis ipsa notabiliter mutatur, prout in inflammatione, pernionibus & ecchymomate: aut vasa venosa per attenuatam membranam vel cutem apparent; Quemadmodum in ophtalmia tunicam oculi ad natam perreptantes rubicundas, in mammis canerofis autem nigras observamus venas. Confirmatur hoc ipsum non obscure, si tumor manifestus ac dolor concur-

C

rat.

rat. Nec facile varices in pedibus, fucus, mariscas & condylomata quis animadverteret, nisi protuberantia, dolorque acutus, sanguinem stagnantem prodat.

### §. XXVIII.

Intra corpus si stagnet sanguis quamquam oculi acies penetrare nequeat, signa tamen haud condemnenda prostant, e quibus id secure colligere queamus. Quis enim dubitet in Pleuritide, Peripnevmonia, Pleuropnevmonia, Nephritide similibusque inflammationibus partium internarum stagnare sanguinem, siquidem hæc ipsa ubique connexa sunt. Etiam si vero calor abfuerit, dolor tamen punctoriis in liene vel hepate non aliter ac in pleuritide spuria satis indicat, transitum sanguinis per poros partium aut vasa esse notabiliter impeditum. Ita enim palpitatio cordis & angustia præcordiorum, suffocationem frequenter minitans, polypum ibi hærentem, sanguinemque in transitu retardantem docent. In foeminis autem, si menstrua vel etiam lochia fuerint suppressa, dolor circa uterum sat acutus præsertim post partum ob retentionem cruris longe gravissimus, abunde significant. Plura ex ipsa morborum historia non difficulter peti possunt.

### §. XXIX.

Quod ad curationem: Videtur hic solus nobis præfixus scopus, ut sanguini stagnanti motum restituamus pristinum. At vero non una ratione illum assequimur,

mur, sed pro varietate partis affectæ vel causarum, vel etiam symptomatum, diversa quoque remediorum genera oportet eligere. Nimirum primo Analeptica erunt maxime necessaria, ubi a spirituum defectione sanguinis motus retardatur aut deficit. Hoc ergo in casu vinum generosius puta, merito audit lac senum, cui vel saccharum ambratum vel essentia ambræ non incongrue admiscentur, immo & infantibus interdum spiritus vel aquæ spirituosa suaviores videlicet ac minus acres, cerasorum nigrorum, pomorum dulcium, rubi idæi similesque propinari possunt utiliter, quotiescumque in suspicionem sanguinis stagnantis veniunt, mutato faciei atque corporis colore.

### §. XXX.

Cephalica & Nervina sive aceriora aromatica tunc maxime requiruntur, quando spiritus in fugam conversi rursus provocandi & excitandi sunt. Hunc in finem prostant in officinis omnis generis aquæ antapoplecticæ aqua spirituosa florum rosmarini l'eau de la Reine, spiritus fl. convallinum &c. In syncope, Apoplexia, frigore tactis aut fulgure perterritis utilissima.

### §. XXXI.

Sed urinosa in specie; uti sunt spiritus essentificati & sal. volat. CC, eboris, urinæ, fuliginis, spiritus Bussii Bezoardicus, sp. salis amoniaci atque similia:

etiam moribundos interdum excitare solent, præfer-  
tim si acidum peccet in corpore adeo inimicum ner-  
vis atque utero.

## §. XXXII.

Acriora etiam antiscorbutica vulgo dicta non-  
nunquam palmam aliis præripiunt; ex rad. Armorac.  
cochlearia & nasturtio paratæ aquæ destillatæ, spiri-  
tus, vel essentiæ simpl. & compositæ; sed cum Judicio  
adhibenda sunt, quia nec omnes, qui dicuntur scorbu-  
tici talia tolerant, sed qui simul pituitosi sunt. Qui  
enim biliosi sunt, neque hæc, neque alia facile acria fe-  
runt, absque insigni commotione.

## §. XXXIII.

Seligenda igitur sunt in gratiam eorum, qui acri-  
bus his lœduntur, mitiora & quantum fieri potest, in-  
sipida; Hujus generis sunt aquæ proprie sic dicta. Qui-  
bus enim ob feri defectum spissa nimis est massa san-  
guinea, iis vel solus Thermarum Carolinarum potus  
satisfacere poterit, aut loco ejus tenue infusum folior.  
Thée aut decoctum rad. sarsaparil. vel chinæ aut scor-  
zoneræ, aut largius haustum, aut crebrius reiteratum.  
Quid? quod, ordinarius quoque potus cerevisiæ vini  
lymphati paulo liberior, prodeesse solet, iis maxime, qui  
parcius bibere consueverunt, more fœminarum.

## §. XXXIV.

## §. XXXIV.

Terrea quoque nonnunquam optima sunt, quando nimirum calor febrilis, aut inflammatio concurrens, acriorum usum prohibet. Ita post casum ab alto, in vulneribus, contusionibus, fracturis, in Pleuritide, morbillis, variolis, purpura, petechiis, bубonibus & carbunculis, ac Peste ipsa, terræ pingues Silesiacæ, bolus Docchaviensis, Marga Rochlizensis ut olim terra lemnia & Bolus Armena, cum omnibus Arcanis & Majoribus certant virtute, quod tamen nemo, nisi qui talia expertus est, sibi persuaderi patitur. Movent nimirum blandum sudorem, simulque refrigerant manifeste, uti, si externe applicentur, omnibus obvium est.

## §. XXXV.

His commode admiscentur partes animalium du-  
riores, sal volatile in recessu habentes, e. g. Unicor:  
Ebur, Dens Hippopotami, C. C. C. Alcis, C. Rhinocero-  
tis &c. Quippe quorum facultates dudum annume-  
pare alexipharmacis, sive sudoriferis adversus ve-  
nena optimis, non dubitarunt Medici longe cele-  
berrimi.

## §. XXXVI.

Huc refer Antimonium diaphoreticum, simpl.  
& martiale, antiheat. Poter. Bezoard. mineral. item  
Zinabarim antimonii, & nativam; Quorum omnium  
usus hodie non modo securus, sed etiam plurimum  
proficuus judicatur ad sudorem provocandum, ubi  
acriora non convenient.

## §. XXXVII.

## §. XXXVII.

Ut ergo paucis omnia comprehendam, crediderim ego jam enarrata omnibus indicationibus satisfactura, si modo pro ratione circumstantiarum hæc ipsa determinentur ad casus speciales, nempe adhibitis ubi opus fuerit, simul expectorantibus, aperientibus, hepatis, lienique dicatis, uterinis seu Emmenagogis, diureticis, imo etiam si dolor urgeat, anodynisi. Id quod non minus circa usum remediorum externum, quam internum observari poterit.



15

L. B. S. D.

FACULTATIS MEDICÆ

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PROCANCELLARIUS

D. POLYCARPUS GOTTLIEB

SCHACHER,

ANAT. ET CHIRURG. P. P.

СВЯТОМЪ СЛАВНОМЪ  
АПОСТОЛУ ПАВЛОМЪ  
СВЯТОМЪ АПОСТОЛУ  
ПАВЛОМЪ



Uemadmodum vox græca πολύπος latina civitate donata, & a Belgis Gallisque ac aliis gentibus recepta multiplices pedes designat, atque ideo in primis animalibus, quæ pluribus pedibus instructa propterea πολύποδα seu multipeda dicuntur, jam in genere, jam in specie attribuitur; ita tumor quidam peculiaris in naribus efflorescens propter pedum seu radicum, a quibus pendet, multitudinem polypi nomine insignitur: Postea id nominis aliis quoque concretionibus modo in vasis sanguiferis, modo aliis in partibus reperiri solitis, atque istiusmodi narium carunculas vel ratione radicum, vel ratione substantiarum amulatibus impositum, atque a Medicis retentum est, donec (a) Kerckringius ab horum opinione non parum dissentiens postremas concretiones potiori jure pseudopolypos nuncupari existimat. Siquidem præmemoratus Auctor quoslibet cordis vasorumque polypos pro sanguine post animalium demum mortem refrigerato, congrumato & indurato habet, id quod exinde colligit, quoniam talismodi concretiones, quas ad mentem ejus plerique polypos nuncupare solent, ex variarum partium vasis protractæ, & abs se examini subjectæ non nisi sanguinem concretum parum similitudinis cum carunculæ narium structura habentem exhibuerint. Hinc ejusmodi polypos, modo liquor acidus venæ animalis viventis infundatur, facile parari posse, porro opinatur; hoc enim modo fieri solet, ut sanguis coagulatus hinc & inde polyposas concretiones spectandas nobis sistat. Quantumvis vero autopsia sit consentaneum, sanguinem post animalium fata refrigeratum in grumos moliores hac illave in parte condensari, tamen nec minus veritati est consonum, id mali viventibus quoque accidere, id quod in primis docent, qui per va-

rias corporis partes sanguinem concretum, atque nunc hujus, nunc illius rei faciem præ se ferentem excernunt, quas concretiones sanguineas & quidem compactas omnique fluore orbatas, in pelliculas tamen distinctas haud resolubiles si quis pseudopolypos adpellare velit, me non adeo dissentientem habebit, modo non quodlibet levioris momenti coagulum sanguineum facileque dissoluble, quod in omnibus fere denatis observare est, illico pro polypo venditet. Præterea polypos ex veris pelliculis contextos in vivis frequenter generari, *Malpighius*, *Pechlinus*, *Blaßius* aliique jam dudum observavere, polyporumque membranaceorum, carnosorum, cartilagineorumque exemplis illustrarunt. Sane egomet ipse plures ejusmodi polypos asservo, qui adeo compactam consistentiam sunt indepti, ut haud difficulter in plures laminas resolvi queant. Eos inter memoratu est dignus, qui in infantis quatuor annorum corde generatus est; is namque ex ima ventriculi dextri parte seu cono assurgens, & paulatim latescens, valvulisque tricuspidibus instrutus non modo auriculam quoad maximam partem replet, sed & ramum insignem in arteriam pulmonalem spargit. Profecto hic ipse polypus albi coloris & fibris haud paucis valvulis praedictis & lateri ventriculi adhaerens tantam crassitatem obtinet, ut facili negotio in laminas dividi queat. Proinde *Kerckringius* non habet, cur *Bartholinum* aliosque erroris arguat, qui in viventium corde, vasis aliquaque partibus polypi generationem asseruerunt, nec eundem pro effectu mortis, aut omnem indistincte pro puro sanguine coagulato habuerunt & etiam nunc habent. Exoptandum potius foret, ut homines ingratissimum illum hospitem tanta mala in oeconomia animali excitantem penitus nescirent. Sed enim vero quem, quæso, hodierna tempestate latet, vix partem corporis ab ejus atrocitate esse immunem. Jam enim narium polypos haud loquor, e quibus in primis notandus, cuius (b) *Job van Meckern*

*Meckern* meminit; quippe qui stupendæ propemodum magnitudinis universam faciem reddidit monstrosam. Neque polypos in meatu auditorio genitos commemorabo, quos (c) *Cowperus* non infeliciter curavit. Sed concise saltem polypos in viscerebus, vasibus aliisque absconditis partibus observatos attingam. Sane (d) *Ruysschius* in maxillæ superioris cavitate Highmori antri nomine veniente polypos animadvertisit, eorumque plures minores ex eadem protraxit; In sinu duræ meningis falcato (e) *Blasius* polypum album, tenacissimum, in filamenta plurima separabilem & ad omnes sinus hujus rivulos meningem tenuem pererrantes se extendentem describit. Similes observationes non modo (f) *Blegny* atque (g) *Hartmannus* litterarum monumentis consignarunt, sed & nuper admodum in eodem sinu polypum e fibris albis constructum & ramulos in venulas spargentem observavi. Porro polyporum intra duplicaturam duræ meningis, nec non prope basin cerebri & cerebelli inventorum (h) *Harderus* meminit. Polypum œsophagi vermiformem animo pulveris sternutatorii hispanici usu excitatum (i) *Schmiderus* describit. Præterea prælaudatus (k) *Harderus* pulmonum polypos delineat. Nec ab iis intestina esse immunia (l) *Lancisius* pluribus contendit. In uteri vasibus sæpe reperi eosdem, & quidem tantos, ut vasa ipsa adimpleant, eosdemque interdum callosam induere naturam (m) *Graafius* est auctor. Ex orificio uteri interno polyposas concretiones membranaceo-

) 3

carnosas

(c) *Anatom. T. 90. f. 5.*

(d) *Observ. Anatomico-Chirurg.*

(e) *Observ. Medic. part. 6. obs. 2.*

(f) *Zodiac. Gallic. ann. 80. Mens. Jun. obs. 2.*

(g) *Ephem. N. C. D. 2. ann. 5. obs. 62.*

(h) *Apiae. obs. 77. 44.*

(i) *Act. Erudit. Ann. 1715. mens. Octobr. p. 456.*

(k) *Ibid. obs. 66.*

(l) *Diff. de triplici intestinorum polypo.*

(m) *De partibus genit. mulier. c. 8. pag. 131.*

carnosas propendentes iconē eleganter repräsentat (n) Ruy-schius. Omnia frequentissime in corde eosdem generari infinitæ propemodum observationes testantur, quibus recensendi quo minus inhæreamus, præsentis instituti ratio prohibet. In primis vero polypus utrumque cordis ventriculum, nec non omnes corporis venas & arterias occupans, cuius (o) Bartholinus mentionem facit, attentionem meretur, quippe qui luculentè confirmat, nos supra haud gratis dixisse, omnes propemodum corporis partes malo hūic esse obnoxias. Temperare certe mihi nequeo, quin historiam polyporum cum urina separatis temporibus excretorum breviter adhuc describam. Nimirum vir quidam honoratus quadraginta circiter annorum, decem pluresve annos arthriticis doloribus vexatus, tandemque in cachexiam delapsus novem ante obitum menses non modo propter insignem pedum debilitatem domi se continere coactus fuit, sed & in regione lumbari sinistra dolorem non rodentem, non pungentem, non ardente, sed gravitate in primis molestum sæpius sensit. Accidit vero aliquando, ut urinam, quæ ordinarie pallida erat atque aquosa, obscure tinctam vini cerasorum pene ad instar per biduum excerneret, atque tertia in sequenti die præter spem in urinæ suppressionem incideret. Hæc quindecim pluresque horas durans ineffabiles anxietates eidem pariebat, donec cum urina impetuose profiliente concretio polyposa floreni magnitudinem æquans egereretur. Ab illo tempore de urinæ suppressione haud amplius conquerebatur, frequenter tamen polypos præcedente gravativo lambaris regionis sinistræ dolore excernebat. Polypi illi modo indigestæ cujusdam massæ, modo lumbricorum figuram exacte praese ferentes interne & que ac externe sanguineo colore erant tinti. In primis vermiformes compactam densamque obtinebant

(n) *Obs. Anatom. Chirurg. 6.*

(o) *Actor. Hafniens. Volum. 5. obs. 29.*

bant substantiam, quosque hinc curiositatis gratia in liquore balsamico etiamnunc asservo. Horum alii pennæ anserinæ ad instar crassi, atque sedecim pluresque pollices transversos longi, ac capitulo globoso caudaque graciliori veluti ornati, alii longiores & graciliores erant. Quo minus vero concreta hæcce vermiformia pro veris renum lumbricis habeamus, interaneorum prohibet defectus, utpote quibus lumbricos haud destitui, non modo autopsia ubertim nos docet, verum etiam alia occasione ex instituto probatum dedimus. Neque vero prædicta concreta polypis carneis vel membranaceis accenseri merentur. Licet enim in externa eorum superficie fibrulæ interruptæ, jam oblique, jam directe progredientes, in oculos incurvant, tamen iidem nec in fibrulas nec in lamellas dividi queunt. Sunt itaque non nisi sanguis congrumatus & compactus, inque uretere formati, quippe cui potissimum figuram vermiformem debent. Similes prorsus polypos cum urina excretos (p) *Clarissimus Thomasius* pereleganter describit, atque eorum quoque mentionem in Actis Eruditorum (q) *Clarissimus Spon* facit. Interim ex harum concretionum delineatione adparet, eas fortassis non incongrue pseudopolypos nuncupari, quales *Kerkringius* loc. cit. ex pulmonis vasis exemtos depingit, nosque similem mole non mediocrem ex vena cava hujusque ramis protractum asservamus. Tandem æger asthmate sicco affectus placidam obibat mortem, non minimam de pulmonum polypo suspicionem nobis relinquens. Hæc qualiacunque occasione panegyris jam indicandæ præfari lubuit, in eadem distinctius paulo de præmemoratis polypis aliisque insolitis cum urina excretis acturus. Posteaquam enim Vir Juvenis ornatissimus doctissimusque  
**Dn. CAROLUS FRIDERICUS CLAUDEURUS,**

Altenburgic. Medicinæ Baccalaureus dignissimus,

sexen-

(p) *Ephem. N. C. Cent. 7. ſ. 8. obs. 100.*

(q) *Ann. 1686. Mens. Jun. pag. 272.*

sexennium & quod excurrit liberalibus artibus & in primis Arti  
Medicæ assiduam strenuamque impendit operam, atque cum in  
theoretico, tum in practico examine, nec non in lectionibus,  
quas pro Licentia vocant, eum ubique se exhibuit, quem gra-  
tiosissimus noster ordo dignum judicavit, cui, summos in arte  
nostra honores modeste ambienti, facultas in cathedra publica  
disputandi concederetur. Sane non modo proximo veneris die  
*dissertationem de sanguinis stagnatione* erudite conscriptam, ma-  
scule defendet, sed & post conflictum disputatorum promeritos  
honores impetrabit. Cum enim auctoritate *Reverendissimi,*  
*Serenissimi atque Celsissimi Principis & Domini,*  
**DOMINI WILHELMI MAURITII,**  
*Ducis Saxonie, Clivia, Montium, Angria, West-*  
*phalia &c. Postulati Administratoris Episcopatus*  
*Martispurgensis & Academia hujus Cancellarii*  
*perpetui, Domini mei Clementissimi,* mihi Procancel-  
lariatus munus fuerit demandatum, officio huic & Nobilissimi  
Domini Candidati desideriis satisfacturus eum Licentiati hono-  
ribus solenniter ornabo. Huic panegyri major splendor ut ac-  
cedat, per honorificam atque acceptam *Magnifici Academiæ*  
*Rectoris, Illustrissimorum Comitum, utriusque Reipublicæ Proce-*  
*rum gravissimorum, ut & generosissimorum nobilissimorumque*  
*Civium Academicorum præsentiam nobis exoratam cupimus.*

P. P. in Academia Lipsiensi d. XXIV. Mart.

An. MDCCXXI.

---

TYPIS IMMANUELIS TITII.